

Stellæ 13. & deinde 14. sunt in sydere Tauri, & quæ 13. numerantur loco Pleiades sunt. Ast 14. ipse Tauri oculus est Chaldæis appellatur Aldebaran. Porro 15. & 16. quoq; in vna constellatione continentur. Et 15. quidem in sinistro pede Orionis est Chaldæis dicta Rigel, 16. vero in dextro eiusdem humero Chaldaice Bedelgeize primæ vtraq; magnitudinis.

Orionem hunc, nisi sis ipse cæcus, primo statim cœli aspectu cognosces, modo & ille tunc supra nostrum ascenderit Horizontem, & tu certam cœli plagam cōmode obseruaris, Est enim sydus tum maxime conspicuū, tum vere (quod inquit Manilius) magni pars maxima cœli. Sunt in eo stellæ tres de secunda magnitudine, quæ cingulum constituūt, id vero vulgus Baculum Jacob appellat, sicut ob oculos hic subiecta tibi figura monstrabit.

Pars superior uersus Zenith.



Pars inferior.

PROPOSITIO NONA.

¶ Quo tandem Zodiaci gradu quilibet planetarum cœli tangat medium, expedite docere.

Propositionem hanc & si ad inquirendas horās nec ponere nec scire magnopere referbat, tamen visum est huic loco inferere, vel tantum ob Zœlos quosdam & ineptissimos calumniatores, qui, quia nisi quod ipsi faciunt rectum nil putant, & se solos omnia, & extra se neminem scire quicquam arbitrantur, vt sic videant nos hæc quoq; non latere.

Fieri potest, vt Planeta aliquis hoc modo sit in ♈ vel ♉, ea nimirum latitudine ab Ecliptica, vt illo ipso latitudinis gradu circulum meridianum non attingat, in quo tamen iste in Ephemeride secundum longitudinem esse computatur, sed cum tertio etiam gradu, qui vel prior vel posterior sit illo, puta si sit Planeta in 3. gradu 23. mi. Arietis, & ab Ecliptica declinet versus septentrionem gradibus 8. ipsum plane cœli mediū cum primo gradu Arietis tangeret, Vnde fit etiam, vt Planeta ille quarta horæ parte citius ad circulum

C 3 veniat